


I

DE DIGNITATE OR-
DINIS ECCLESIASTICI RE-
GNI POLONIÆ.

Authore Augustino Rotundo Mieliesio
I. V. Doctore, Prætorè
Vilnensi.

*Jussu & mandato Illustrissimi ac Reueren-
dissimi Domini D. Archiepiscopi
Gnesnensis, &c.*



CRACOVIAE,
In Officina Lazari: Anno Domini,
M. D. LXXXII.

Cim. Bu. 4932

AVGVSTINVS ROTVNDVS
MIELESIVS I. V. DOCTOR, PRÆTOR
Vilnen: Andree Volano amico
singulari S P.



LX LITERIS, QVAS AD
me Biuciscis tuis, 6. Kalend. Nouemb.
dedisti, quanti me facias, facile in-
tellexi: rogas enim, ut ea, quæ de li-
bertate Polona scripsisti, quæq; mihi
Vilnæ perlegenda dedisti, ad te iudicij mei censura cor-
recta & emendata, remitterem, quin & præfatione
eodem argumento scripta ornarem. Atqui Volane,
neutrum istorum agnosco, quod mihi tu, benevolentie
ne propensione, an alicunde concepta persuasione dece-
ptus tribuis: nam nec autoritas mea tanta est, quæ a-
liquid eleganti huic scripto tuo ornamentis et dignitatis
addere queat, nec ea facultas copiaq; iudicij, qua li-
mari illud ac expoliri posse existimem: ita enim tu ar-
gumentum hoc ex medijs Philosophiæ veteris penetra-
libus depromptum tractasse mihi videris; ut si quis est
hominum nostrorum, te eum esse iudicem, qui non vul-
gari nostratum more hanc disputationem institueris et
tractaueris: hi enim, paucis exceptis, rem ad scriben-
dum propositam non magni facere ferè solent, quibus
verbis efferant; modò id distinctè ac perspicuè, & ad
persuadendum atque docendum idoneè faciant; dele-
ctum verborum & ornatum, elegantemq; compositio-

A ij

nem ceu

nem ceu quædam lenocinia & pigmenta contemnunt: te autem eos scriptores, & veteris & nostræ ætatis scripturam video, qui in simili scribendi genere id sibi faciendum proposuerunt; ut non solum lectores veris præceptis & opinionibus instruerent; sed etiam verborum puritate & nitore, aptaq; & concinna colloca-tione delectarent: à quorum diligenti lectione ego iam multos annos abstinco, talium scriptorum, quos hic noto, libris euoluendis, sine quibus officij mei functio exerceri non potest, & negotijs forensibus occupatus; ita ut mihi forma & imago bene scribendi, si qua vnquam menti meæ iuuenili exercitatione impressa fuerat, multi temporis intermissione obsoleuerit. Proinde quantum ad perfectum accedas, quantumue ab eo absis, non facile iudicare possum; citra assentationem tamen affirmare audeo, paucos esse Polonos nostros, quorum quidem scripta videre & perlegere mihi licuit, qui in hoc scribendi genere tecum conferantur: ita perspicue & dilucide res non tam obscuras, quàm à vulgi opinione remotas effers atque enuntias, argumentumq; hoc, quod in communi consuetudine conuen-tuq; hominum assiduis sermonibus disceptationibusq; versatur, & nouis confictis ac prorsus barbaris vocibus & verbis effertur, diserendo explicas; ut nullis vulgaribus verborum sordibus orationem inquines: & nihilo tamen minus, non ab ijs solum, qui purè & latine scribentium lectioni assueuerunt; sed & ab ijs, qui ele-

qui elegantium literarum sunt rudes, intelligi queas. Nam & hos sententiarum grauitate permouebis, & magnis rationum momentis docebis, et verborum venustate delectabis, & totius orationis perspicuitate ad legendum allicies. De rebus verò ipsis quid dicam aliud non habeo, quàm verissimè mihi disputata abs te omnia videri; eam enim esse politicam libertatem, quæ scriptis ijs tuis designata est agnosco; sine qua nulla Respub. diu salua & incolumis esse potest: eaq; vitia, quæ notasti, quæq; libertatis nomine à vulgo dignari falsò solent; non solùm libertatem non esse; sed maximo interuallo à libertate diuersa & sciuncta distare, Reipublicæ, in quam irrepresentunt, præsentem pestem & interitum, uti tu disputas, adferre solere. Sed tamen quiddam scripto huic tuo, quod ad verum perfectamq; libertatem definiendam valde pertinet, deesse video; nisi tu id fortasse adhuc tibi in fine tractandum reliquisti: non enim absoluta mihi hæc adhuc disputatio videtur. Impunitas quidem scelerum, homicidij scilicet, libidinum, luxuriæ, temulentia, & potentiorum in imbecilliores quiduis audendi licentia, iure optimo à te libertatis perfectæ formam describente damnantur, & libertati Poloniæ obstare censentur, certamq; perniciem Reipublicæ allatura prædicuntur; sed nescio an multò magis obstet publicæ libertati & saluti hæc, cuius tu nullam mentionem adhuc fecisti, licentia gentis nostræ, per quam licere sibi vnusquisq; quouis è gre-

ge vult quaslibet de sacrosancta religione Dei immortalis confingere opiniones, à veterum recepta ac vstitata, consensuq; multarum ætatum ac nationum, & sanctissimorum doctissimorumq; hominum decretis firmata & constituta opinione diuersas. Nam ut cætera omitteram, satis tuis iisce scriptis constat, concordiam ciuium eam ferè solam esse, quæ stabilimen Reipub. & libertatis veræ præsidium est. In diuersitate autem, diuersa ac contraria de religione sentientium quæ concordia esse potest? quæ hominum inter homines coniunctio? quis ciuium amor? quæ beneuolentia & fides? Rectè profecto Lactantius Firmianus elegans sanè scriptor, religionem non à relegendo, ut Cicero, sed à religandis animis, ita appellatam scribit; si qua enim alia res, religio certe sui vinculo hominum inter ipsos societatem conciliat, & constringit: res propè notior est, quàm ut probatione indigeat, & in communi hominum iudicio posita esse videtur. Cur enim Iudeorum, Turcarum, Scytarum, & reliquarum à religione nostrâ alienarum gentium consuetudinem auersamur? cur illis nullum in Reipub. locum esse permittimus? cur eos odimus, & persequimur? nisi quòd religionis communionem religati nobis non sunt, & diuersum de ea sensum obtinent. Atque utinam soli hi documento fuissent, quantam vim religio in deuinciendis colligandisq; hominum animis obtineat, & quanta rursus animorum dissolutio, quid dissolutio? quanta pacis
 pertur-

perturbatio, quamq; implacabilia odia, religionum di-
 uersitatem consequantur, & in atrocissima bella eua-
 dant; quinquaginta hi anni, quibus inuictæ nouæ re-
 ligiones maximam Europæ partem intestinis ciuili-
 busq; bellis afflixerunt, plura quàm vellemus exempla
 huius rei continent; à quibus commemorandis, mens
 hominis abhorret. Proinde Volane, magnum operæ
 precium facturus mihi videreris, si hanc quoq; creden-
 di quiduis cuius de fide & religione nostra facilitatem
 vel vanitatem leuitatemq; potius & docendi licenti-
 am, scripti huius tui libertate perstringendam tibi &
 prorsus damnandam putaueris. In nulla enim Repub.
 in nullis externis regionibus ac ciuitatibus, tantum li-
 cere vulgo conceditur, quantum in Polonia nostra li-
 cere videmus; propterea quòd Polonia sola tantam si-
 bi libertatis prærogatiuam, inter seculi nostri nationes
 arrogat; ut quicquid illi adlibuerit, facere liceat.
 Nam etsi in vicina nobis Germania, quæ parens hac
 ætate nostræ diuersarum religionum est, diuersæ sunt
 religionis ac fidei sectæ, à veteri purioris seculi inte-
 gritate ac constanti pietate dissentientes; tamen si qua
 vrbs, si quis populus, publicè vnā aliquam sectam
 sequendam sibi delegit ac proposuit; diuersum à se sen-
 tientem non fert; sed è suo cœtu, tanquam pacis &
 concordie ciuium perturbatricem explodit ac extur-
 bat. In Poloniæ autem nostræ locis fere omnibus fe-
 runtur ac tolerantur; quin beneficijs ac fauoribus ho-
 minum

minum aluntur omnes, quamlibet opinionem & doctrinam etiam cum insigni & ab alijs reprehensa impietate coniunctam, propagantes: dum modo à veterem maiorum nostrorum religione dissentiant, & qui antiquum præscriptum institutum prioris ætatis obtinet, Papam omnibus probris ac conuicijs insectentur: ita ut per iocum ipsi nos Poloniam patriam nostram sicuti vestitus externi ac ornatus formarum, ita & dogmatum religionis Vendetam vulgari vocabulo vocemus. An hæc mi Volane, non multò deterior, quam ille quas tu pestes Reipub. ac libertatis nostræ vitia notasti? an non magis exitiosa nostra omnium perniciēs, ac concordie, qua Respub. nostra innixa hactenus stetit, euerso tibi videtur? certum enim tibi ac persuasum, quod & Christianis omnibus, esse existimo; sicuti, unum Deum, unum baptisma, unam fidem; ita quoque unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam profiteri nos & credere oportere: cuius consensionem qui non sequitur, is eius communionem penitus excidit. Proinde in hac diuersitate opinionum de religione, id est de vero cultu Dei omnipotentis, & in eum credendi ratione, cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, quoniam plus uno verum esse non potest; unam aliquam esse necesse est, quæ veræ Ecclesiæ sententia dicatur; quam sententiam qui sequuntur, veræ & ipsi Ecclesiæ nomen obtineant: reliqui verò omnes diuersum ab his sentientes, eorum cœtu se deprivata

deprauata damnatq; falsæ opinionis sententia exclusisse censeantur. Nemini autem dubium esse existimo, qui ab hoc cœtu sciuncti ac segregati sunt, qui veræ Ecclesiæ & dicitur & est, eos optima sui parte, id est anima interire, & prorsus occidi ac necari; cùm se à totius Ecclesiæ corporis compage abscindi & separari passi sunt. Itaque ij, qui eis huius abscisionis & separationis auctores sunt, ac eos ex cœtu rectæ sentientium euellunt, planè & verè animas hominũ occidunt, & trucidant; quæ nex corporis nece multo truculentior, horribilior, formidolosiorq; omnibus videri debet. Nec interim ego veræ Ecclesiæ notionem certis indicijs designare, ut internosci queat, ac definire institui; sed sit sanè aliqua ex his scētis, quæ à veteri nostra religione ac fide maiorum ceu manibus nobis tradita dissentiant, Ecclesiæ veræ nomine digna; quod ego, ut verum sit, persuaderi mihi non patiar: do tamen hoc interim tibi, ut ea, quam tu sequeris, veræ Ecclesiæ sit; reliquæ autem præter hanc Volane tuam, quas in ciuitatibus & conuentibus hominum nostrorum licenter versari, & in concionibus tantum non Regnum obtinere epistola illa tua, quæ ad Episcopum Krouiensem æditapublicè exstat, dolere te ostendis, ad quas quotidie ferè vides ab hac veræ, si ita Deo placeat, vestra Ecclesiæ innumeros noti nominis homines deficere, vi orationis seductos, & consuetudinis contagione afflatos, tolerandæ ne tibi videbuntur? an eos

B

tu, qui

tu, qui in tuo grege grassantur, non fures humanarum Christianarumq; animarum gregisq; tui abigeos, latrones ac nefarios homicidas iudicabis, & atrocissimis pœnis afficiendos, ex liberaq; ciuitate in malam crucem tollendos? & iudicabis profectò, ac scripti tui huius libertate id quod alijs vitijs insectandis fecisti perstringendos eos tibi existimabis; si & Epistolæ illi tuæ consentire, & veram libertatem ac omnibus partibus absolutam, suisq; expressam coloribus, & designatam vis ob oculos nobis proponere spectandam; in cuius perfectione nihil desideretur, & nulla vitia insint: non ea solum, quæ iam perstricta à te sunt, sed & hæc grauiora. Nam illa vt iterum repetam, et si per magna sunt, & non toleranda; tamen dum in vero veræ Dei Ecclesiæ coetu committuntur, veniam, si pœnitentia commissi consequatur, facile obtinent; quod hi à quibus commissa fuerint, in vnius veræ ac viuæ Ecclesiæ corpore hærent, nec dum abscisi à reliquis corporis partibus, interiore Christi capitis ac reliquorum membrorum ex Sanctorum & à Deo delectorum hominum compage constantium motu & calore, quamuis male affecta, vigent tamen & fouentur, viuq; corporis partes censentur. Qui vero ab huius Ecclesiæ consensione ac necessaria ad sui conseruationem coagmētatione abstracti, atq; impia grassatorum istorum & latronum fraude abscisi sunt; ij etiam si vigere & viuere videantur, id est, si omnibus vitæ morumq; ornamentis, et
 cuiusuis

*cuiusuis sanctimonie specie illustres sint; tamen vero
 vere Ecclesie Dei Spiritu destituti sunt, ac prorsus
 necati, optimaq; sui parte occisi. Ut tamen & ego, quã-
 doquidem in libertatem istam tuam tantam mihi liber-
 tatem concedis, libere tibi præcurram ac præscribam,
 qua ratione modestè ac temperatè istos ut persequaris
 ac perstringas, & quemadmodum hoc, quod requiro,
 scripto tuo adijcias velim, quæ mihi hæc tua legenti
 in mentem veniebant literis mandavi: perlege hæc,
 atq; utinam quod opto magis quam spero, digna tibi vi-
 deantur, in quorum tu sententiam libertatem istam tu-
 am absolvas. Sed cur ego id quoq; de bonitate ingenij
 iudicijq; tui non sperem, ut quæ à te disputata sunt, ijs
 consentias? nam si Regiam in Repub. nostra admini-
 strationem propterea libertatis nomine cõmendas, quod
 Rex legibus & institutis vivere habeat necesse, nec
 quicquam iniussu Senatus populiq; statuere, nec de
 Repub. nec de ijs ipsis legibus potest, sed earum custos,
 vel ut tua translatione utar, os seu vox esse debeat;
 nimirum hoc velle videris, quod et ex auctoritate Ci-
 ceronis adscripsisti, Legum ut Polonos, ita & eorum
 Regem servos esse debere, si liberi vivere volunt. Quæ
 autem lex in Polonia antiquior est, quæ maiore omni-
 um consensu lata, lege illa, quæ ante annos centum et
 quinquaginta Jagellone huius nostri Sigismundi Au-
 gusti proavo perlata & in perpetuum perscripta est, ac
 deinde omnium ordinum approbatione promulgata? ne*

quis ullam externam religionem, eam præsertim, quæ in Bohemia Ioanne Huso auctore tunc vulgabatur, ea autem germana ferè vestræ huic fuit, in Poloniam inuohere auderet; qui secus faxit, eius Maiestatis rei caput sacrum fore, iusq; illum esset fasq; occidi; nec eam eadem noxæ capitalis haberi, infamem intestabilemq; censeri. Ac eius quidem delicti cognitionem iudiciumq; posterior lex sacro Episcoporum ordini dedit. Cum verò eæ leges inter reliquas, quibus Polonia nostra libertatem suam tuetur, saluæ & integræ nobis sint; nec eis posterioribus legibus derogatum abrogatum aut subrogatum quicquam est; eis ut reliquis nos parere, si liberi esse volumus, decet; easq; ut reliquas exequi oportet, prius quàm nouæ quas tu suades rogandas, ferantur. Quæ enim maiore auctoritate, si in adulteros, sumptuosos, siccarios, lurcones & reliquas libertatis publicæ pestes, nouæ leges æderentur, retinendas conseruandasq; censebis; si quæ tanta hominum voluntate æditæ sunt, obsolescunt? Illas ergo Volane suade scripto hoc, ne desuetudine aboleantur: earum vim reuocandam cense: alioquin & reliquæ, si in tua hæc libertatis vitia ferentur, illarum exemplo euanescent. Vale. Datum
 Tabariscis 4. Id. Decemb. Anno
 salutis humanæ.

I 5 7 I.

Appendix

Appendix ad libertatem Volani adiecta.

Sacrosanctum Pontificum & Sacerdotum
in Polonia Collegium, ad præcipuum nobi-
litis & militiæ ordinem referri: quorum
auctoritatem qui imminuere audent, opti-
mam se publicæ libertatis partem violare
non vident.



IRIPLEX ESSE HOMI-
num genus, quo Respub. Polona con-
tinetur, supra scripsimus, Agricolas
sczt, Oppidanos & Milites: horum
autem præcipuam ac nobilissimam ef-
se partem Milites, qui pro salute Reipub. excubant, et
pugnandi contra hostes munere perfunguntur, atque
conum quodq, horum generum suas habere leges, di-
sputauimus. Consentaneum autem rationi esse, vt opti-
ma Reipub. pars, optimas leges consecuta esse censea-
tur. Et cum nemo nostrum, qui Christi doctrina im-
buti sumus ignoret, duplex nos habere hostium genus;
alterum homines nobis, vel ob dominandi cupidita-
tem, vel præde auiditatem, vel ob agrorum & quo-
rumuis bonorum occupationem, aut aliam quamuis

offensam infestis; alterum cum mundi huius & carnis nostræ illecebras, tum verò Dæmonas & malignos spiritus; quandoquidem colluctatio, ut verbis Pauli Apostoli utamur, non est nobis aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, & spiritualia nequitie, in cælestibus: propterea quoq; duplex militiæ genus, contra eos institui oportuit, & utriq; militiæ generi leges suas attribui. Quo verò grauiores atrocioresq; hostes nobis illi sunt, qui optimæ nostri parti spiritui scz & animæ perpetuò insidias struunt, illis, qui corpora fortunasq; nostras oppugnant: hoc præstantiores milites illos existimare debemus, qui armis suis perniciosiores hostes persequuntur; quam hos, qui imbecilliores & minus nocentes à nobis arcent: ac uti ij seculares, id est seculi huius & temporis homines, ita illi spirituales vulgo vocantur. Propterea Leges, quibus eorum dignitatis status continetur, an non necessariò optimas eas esse iudicabimus? ut autem in violatione legum, quæ militibus secularibus sunt consentaneæ, magis publica libertas violari videtur, quàm si minorum ordinum leges violarentur; ita legibus spiritualium violatis, tantò plus Reip. libertatem lædi consequens est; quanto libertatem, in quam opera spiritualium asciti & vindicati hætenus felicissimi viuimus, plus multò libertati carnis antecellere certum est. Profiteri autem debemus & credere, ut libertatem illam principibus

Poloniæ

Poloniae & militum virtuti, uti scripsimus, nos debere; ita hanc Christi primum domini incredibili erga nos clementiae: deinde & illis acceptam referre, quorum opera et auctoritate excusso Diaboli durissimo iugo, soluti suavissimum Christi iugum cervicibus nostris inducimus, & in veram libertatem asserti, atque vindicati sumus, Episcopis scilicet & reliquo spiritualium ordini, qui in Apostolorum munus successerunt. Apostolis enim per varia martyrij genera in caelum sublatis, Christus deinceps alios in eorum locum substituit; quorum vicaria hic in terris ad usque mundi finem opera fungi voluit, quosque ad opus ministerij, & tanti in genus humanum beneficij absoluendum vocavit. Itaque sacrosanctum spiritualium ordinem, qui in nostra Repub. primi subsejij ius, primi que suffragij prerogativam obtinet, in primo praecipuoque militum numero, censere debemus, qui a Christo & Apostolis, & horum deinceps successoribus suppeditatis armis, ex militaris disciplinae veteri instituto, acerrimos hostes nostros profligant, cumque eis continua bella gerunt: & quorum studio ac opera coacti, in Christi Domini liberatoris, ac imperatoris nostri militiae nomina dedimus, sacramentisque eius obligati sumus, Christiani facti, id est in filios Dei, & verè liberos homines arrogati. Ac potuit quidem Christus Dominus solus sine cuiusquam succedanea opera, unico nutu suo, divina sua vi repentino, eos qui in tenebris ac in umbra mortis

multis

multis seculis sedebant, illuminare, ac simul & semel, ut gentes nationesq; omnes; ita & gentis primordia nostræ, à Dæmonum cultu alienatas sui cognitione imbueret, & è seruitute diuturna eripere, in libertatemq; asserere, qui omnipotentis Dei filius ac ipsemet Deus omnipotens esset, sed hæc fuit voluntas eius, cui dicere, cur ita facis? nefarium est: scit quemadmodum sine humanitate in se Deum assumpta, non redemit nos, & è potestate Diaboli non eripuit; ita sine humanitatis, id est hominum adminiculo, omnes nos, veluti ex improviso, ad tanti beneficii gratiam vocare illi visum non est. Verùm, quod prudentes medici facere consueuerunt, ut diuturnis tenebris asuetos hominum oculos, repentinis radijs solis obijcere non soleant; ita ille sensuum nostrorum, ex multorum seculorum caligine obœcatorum, imbecillitati indulgens, lentè ac sensim se, qui lux vera est, nobis patefecit: nec subita nobis luce sua circumfulsit, omnesq; simul homines hac luce sua, & vera deinde libertate est dignatus; sed tantorum beneficiorum, absoluedi partes hominibus tribuit; ut bonitatis suæ, vel hinc quoque vim et vbertatem declaret, quam solis diuinitatis suæ finibus conclusam esse nollet; sed communicatam vberimè cum humano genere clariorem, illustrioremq; efficere vellet, ut hac ratione sibi nos magis ac magis ad se amandum ac colendum obligaret. Proinde quicquid à patre accepit, id in homines affatim contulit: & sicut ab

sicut ab illo missus est; ita eos mississe se dixit, Apostolosq; vocauit; ut videlicet gloriæ suæ, & tanti erga nos meriti, homines participes redderet: & qui Apostolus ipse patris erat, Apostolum enim Paulus eum vocat; huius muneris sui & nominis dignationem hominibus communicaret. Non inuidet enim, ut quidam stolidè ac impie bonitati eius obtreçant, gloriam suam mortalibus, quibus filios Dei fieri potestati dedit, quosque lucem mundi ipse vocauit. Ac ne illi quidem, quibus conuertendarum ad se gentium, & ad libertatem vocandarum partes reliquit, seu illi duodecim Apostoli, seu septuaginta duo illi viri, quorum sacræ literæ faciunt mentionem, seu horum discipuli, omnes nationes vel adierunt, vel in libertatem Christi beneficio concessam asseruerunt; sed etiam hi communè magistrum & Doctorem imitati, quæ inchoata absolueri non potuerunt; posteris, quos in muneris sui functionem ipsi adsciuerunt, absoluenda reliquerunt. Quod quidem admirabili quadam continuatione & serie, à priscis illis primordijs in hæc usque tempora, posterioribus in superiorum loca succedentibus perdurat; ut fuerint, perpetuoq; futuri sint, qui Apostolorum munere, ad seculorum finem perfungantur. Ii autem eò apud omnes gentes & nationes rem adduxerunt; ut eam optatæ lucis usum, & libertatis beneficio affectæ liberatoribus, conseruatoribus, authoribusq; veræ ac sempiternæ salutis & libertatis, se suaq; omnia subie-

C

cerint,

cerint, opesq; suas iuri arbitrioq; illorum permiserint; ut facile discipulos & spiritu illorum afflato agnosceres, ad quorum pedes precia agrorum proiecta, quorumq; arbitrio fortunas, et si tum adhuc exiguas recens nascentis Ecclesie, permissas legimus. Nam ut illi initio fidei religionisq; nostrae Iudeos; sic hi quoque aliquanto post barbaras nationes, in caducarum istius mundi opum contemptum adducere, & diuinarum rerum amore inflammare potuerunt; ita ut commodorum omnium suorum oblitae, se suaq; omnia Christo Domino subdiderint, seq; Regnis amplissimis omnibusq; opibus spoliauerint. Quod quoniam aliquot post Christi aetatem seculis accidit, hoc tandem tempore illud, quod Paulus citat ex Dauide, omnia subiecit sub pedibus eius impleri coepit. In eo enim, ut pergit dicere Paulus, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum: tunc autem nondum fuisse Christo subiecta omnia, eodem loco Paulus testatur. Quin Paulo & reliquis Apostolis, & multo tempore eorum successoribus fidem Christi propagantibus, fuit tempus, sicuti D. Augustinum alicubi scribere Gratianus refert; quo astiterant Reges terrae, & conuenerant in unum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Et, quo diris omnibus, omnibusq; supplicijs Christus in suis afficiebatur, cui temporari, paulatim patefaciente se hominum Apostolis succedentium opera caelesti lumine; ecce successit postea seculum, quod verè aureum dici potest,

quo

quo certatim omnes Reges, omnes principes, omnes nationes Christum Dominum suum agnoscere ceperunt, omniaq; ei subiecerunt, et excusso durissimo diaboli iugo, suauissimum Christi iugum ceruicibus suis imposuerunt, veraq; prædixisse Dauidem, hoc tandem tempus comprobauit. Quo tempore, multò post Christi ætatem, Reges intellexerunt & eruditi sunt, qui iudicant terram & seruiuerunt Domino. Impleri cœpit & illud, quod piscatu Petri Christus præsignificasse à sanctis Doctoribus scribitur. Petrum enim cui agnorum ouiumq; suarum curam Christus commisit; iussu Christi centum quinquaginta tres pisces magnos cepisse post resurrectionem legimus. Quod quidem isti sancti Doctores de Regibus & principibus intellectum volunt, quos multo post Petri mortem ij ceperunt, qui Petri personam induerunt, et in eius munus succeſerunt. Primus vocat, Syluester à Petro 23. Pontifex, qui Constantinum illum verè & re & nomine magnum, multosq; cum eo principes cepisse, certissimæ fidei scriptorum literis perhibetur. Ipso certè Petro ac reliquis Apostolis piscantibus, non magnos pisces, id est homines, præbensos, Paulus illis verbis testatur: Videte, inquit, fratres uocationem uestram, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta & vilia erant elegit Deus. Syluester, inquam, primus, vel in Syluestro potius Petrus grandes pisces, Reges ac principes integro reti

cepit. *Ante eum quidem captus erat reliquorum piscatorum labore Philippus Imperator Romanus; sed is rete citò discidisse, & in pristinam impietatem relapsus esse legitur. Constantinus autem constantissimè in fide semel Christo data perseverauit, ac postea (filio & paucis exceptis) omnes ad hoc usq; seculum Imperatores Romani, eadem fidei constantia Christum colunt; quos Reges plurimarum gentium & nationum imitati sunt, & summa alacritate & liberalitate recipiebant ac prosequabantur eos, qui à Christo missi erant: quos dum recipiebant illum ipsum Christum Dominum recipiebant, Christoq; Domino in eis inhabitanti & inambulanti seruebant. Et tum quidem quò propius oculis suis intuebantur, quanta ante hac illi & maiores sui ab usq; orbe condito, quamq; immani seruitute premerentur, & quantæ post hac libertati essent restitutæ, ac quantum diuino munere & Apostolorum suorum procuracione bonorum essent consecutæ, in filios enim Dei se arrogatos & ad cœlestis Regni hæreditatem vocatos non obscure agnouerunt; eò maiore beneuolentia in illos ipsos Apostolos sui temporis propendebant, illosq; quin Christum ipsum in eis, sibi & uniuerso orbi præficiabant & adorabant. Ut & illud verè prædixisse Isaiam multis ante seculis appareat, venturos ad Christum filios eorum, à quibus opprobrijs erat acceptus, & prona ueneratione uestigia etiam pedum eius exosculaturos. Ita enim euenisse, sed multò post*

tò post Christi tempus videmus. Nam pedes Christi
 ipfius à nemine (Magdalena excepta) exofculatos le-
 gimus: in noftrum hæc veneratio incidit tempus. Chri-
 ftum certe omnes feruatorem & credunt et palàm pro-
 fitentur; eos tamen etiam, à quibus eius fide fingulæ
 nationes obligatæ funt, tanquam eius ipfius vicaria
 opera fungentes, pro eo adorant, pedes eorum exofcu-
 lantur, Papas admirabundi ac venerabundi, id eſt
 Patres patriæ ſalutant: alios Cardinales, quaſi eos,
 in quibus ceu Cardine cura Eccleſiæ verſetur, alios
 Epifcopos, id eſt ſpeculatores, ut qui pro ſalute omni-
 um excubandi & vigilandi curam ſuſtinent, appel-
 lant. Ac nec hos ſolos, ſed & infimos quosq; ſacer-
 dotes præſbyteros, id eſt ſeniores vocant: ac propte-
 rea quali quali genere & conditione eſſent prognati,
 non plebeio, ſed ſenatorio ordine dignos, omnes ætates
 & nationes hæctenus appellauerunt & iudicauerunt.
 Quare (ut tandem ad noſtra reuertamur, paululum
 enim diuagati eſſe videmur) nemini mirum aut abſur-
 dum videri debet; quòd ut libertatem carnis Regi-
 bus Poloniæ ad Chriſtum conuerſis; ita eandem &
 multò maiorem libertatem ſpiritus, iſs, à quibus ad Chri-
 ſti fidem ſumus conuerſi, & ſucceſſoribus eorum debere
 nos Polonos, dicere & affirmare non veremur: ſicuti
 debere ſe & maximo ab eis affectos eſſe beneficio, ma-
 iores noſtri & reipſa, & publicis diplomatibus ac tabu-
 lis ſunt teſtati. Nam poſteaquam & ipſos, poſt nonin-

gentos à Christo nato & amplius annos, dignos Deus iudicauit, quos agnitione filij sui illustraret, cum se vidissent non solum ex profundissima tenebrarum caligine ereptos, & ex diuturna Diaboli, qua oppressi erant, seruitute liberatos; verum, quod omnem nobilitatem generis superat, filios Dei & hæredes, cohæredes autem Christi factos, quorum opera eam felicitatem adeptos se viderunt e eos eodem honore, cultu ac veneratione dignos putauerunt, in qua apud alias nationes, quas in fide Christi colenda imitandas proposuerant, haberi videbant. Imò etiam hoc magis, quam cæteræ nationes, quod hos ipsos veræ suæ libertatis & sempiternæ salutis, ac tam excellentis generis cælestisq; nobilitatis authores nobilissimos clarissimosq; rectè & sapienter iudicantes (nec enim ab eo quisquam libertatem aut nobilitatem consequitur, qui ipse seruus vel ignobilis est) Reges ac Principes præclaro vocabulo nominauerunt, omneq; sacerdotum genus, tam qui sacris ceremonijs, templis, præsent, quam qui parent & in inferiori ordine censentur, etiam infimo genere natos, kšiedzos appellauerunt. Quod quidem nomē linguæ nostræ proprietate, Ducem & principem significat, nimirum sola ferè lingua nostra, hac vocabuli vi proficitur, & agnoscit, hos, quorum opem, Regale & ipsi sacerdotium, uti Petrus Apostolus Christianos appellat, sumus facti, veros duces & principes esse. De quibus multis ante seculis David Rex vaticinatus est, inquit:

inquiens: Constitues eos principes super omnem terram. Nec est etiam nunc quisquam, tametsi infelici huius seculi fato, ordo sacerdotum omnium, in summum perditæ multitudinis odium incurrit, à quo hæcenus etiam gregarij minoris ordinis sacrificuli kśiedzy, id est principes à nostris non vocentur, tacito sensu etiam ab hostibus veritatem exprimente, veros illos Reges, Duces, ac Imperatores esse; quorum ductu sub Christi veri Regis ac Ducis auspicijs, ante annos plus minus sexingentos, fortissimi & atrocissimi hostium nostrorū Dæmonum exercitus cæsi fugatiq; sunt; & hoc Regnum Christi imperio subiectum, in veramq; libertatem vindicatum: ut contra istos nunc veteris principum id est kśiedzorū nostrorū disciplinæ euersores & priscæ religionis, qua Christo liberatori religati sumus (à religando enim nobis religionem dictam cum Lactantio credere libet) hostes, quos Ducibus kśiedzysq; nostris substitui videmus, kśiedzos appellare nemo ferè audet: quin & ipsi hanc appellationem, indignos se ea iudicantes, auersari solent. Sed quemadmodum in priscam illam Diaboli seruitutem, rursus regnum hoc retrudere illi conantur; ita aptissimum illis seruitutis nomen inditum audimus: ministros enim se appellari volunt, & regalis sacerdotij nomen in vile seruitij commutant. Itaque ab istis Sathanæ magis, quàm Christi ministris ac seruis, summa cura & contentione id agitur; ut nouo astu, & uti vocant, stratagemate

tagemate, ad se paucos terræ nescio cuius filios, obscuros & viles homines, vanissimos, leuissimosq; transfugas, modo harum, modo illarum partium, & nec in hac, nec in illa parte fidem seruantium, Christi regnū redactum, ex illustri orbis terrarum monumento deiectum, animis & voluntatibus sciunctum, opinionibus sententijsq; dissidens, cœtibus dissipatum; non barbaris solum & fidei nostræ expertibus gentibus, sed nobis ipsis etiam Christianis sordere & in contemptum venire incipiat: nullisq; deinceps humanis præsidijs munitum destituatur. Quibus post propagatā Christi fidem, posteaquam in omnem terram exiuit sonus Apostolorū, & in fines orbis terræ verba eorum, innixam Christianam libertatem, dignitatem et amplitudinem auctam esse, nemo ita historiæ rudis est qui ignoret. Sapientissime igitur maiores nostri, ut pleraq; alia, initio religionis nostræ; ita hoc quoq;, quos tantæ principalis dignitatis nomine appellauerunt, & quibus salutem animæ suæ crediderunt, quorumq; opera incredibilium Dei beneficiorum participes sunt effecti; eosdem ad gubernandā etiam huius Reipub. curam adsciuerunt, & in primi subsely fastigio collocauerunt, amplissimis etiam fortunæ decoratos & insignes. Videmus itaque quam feliciter eorum consilio, industria, fide, addam & opibus, Respub. Polona, tot iam annos firma, nec vlla parte conuulsa, quin in dies auctior ac florentior stat. Quæ certè paucis admodum Rebuspub. felicitas contigit,

contigit, referre enim ex externarum historiarum scriptoribus possemus, prisca & nostri temporis extenarum gentium casus, quarum Respub. vix quingentis annis libertatem suam retinuerunt; quin postea vel in Tyrannorum aliquorum, vel in hostium seruitutem reciderent: nostra hæc (sit IESu Christo Domino laus, cuius operariorum fide & diligentia sustinetur) eandem, quam à Christianæ religionis initio consecuta est, quin indies maiorem & ampliorem retinuit libertatem: non eam solùm quàm libertatem spiritus, sed & eam, quam carnis, sicuti ea à Paulo appellatur, à nobis verò politica, diximus. Reuoluamus enim historias annalium nostrorum omnium, animum ad ea, quæ in hac Respub. & nostra & maiorum nostrorum memoria gesta sunt, referemus; reperiemus Episcoporum constantia, auctoritate, prudentia, consilio, sæpè defensam nimiam vel principum, vel populi licentiam, defensam libertatem publicam, salutes promulgatas leges, dignitatem ordinum conseruatam, maiestatem Regni illustratam, salutem deniq; & incolumitatem omnium in pace & tranquillitate procuratam & retentam, quin etiam eorum pietate ac sanctimonia, & ritè pieq; ad Deum fuis precibus effectum, ut validi hostium exercitus fusi, fugatiq; à nostris cæderentur. Huic itaq; optimo ac præcipuo in nostram Respub. ordini, à quo tot bona in nos promanarunt, quæ dicendo neutiquam

D

explicari,

explicari, ac vix mente & cogitatione comprehendi
 possunt, suas leges saluas et integras conseruamus, ve-
 terem dignitatem restituamus, institutisq; antiquis eos
 viuere permittamus; nec de fidei nostræ religione quic-
 quam mutare, & secus, quàm ab illis traditum accepi-
 mus statuere audeamus: de ambiguis doctrinæ fideiq;
 Christianæ iudicium ad illos solos referamus. Istos ve-
 rò, qui, uti eos Paulus multis ante seculis denotasse
 videtur, veniunt ut alium Christum prædicent, quem
 non prædicarunt hi nostri Apostoli, aut alium spiritum
 habent, quem non acceperunt, aut aliud Euangelium,
 quàm quod receperunt, è medio tollamus, & extrema
 supplicia pro meritis iudicemus, nec eis in libertate veri
 Reipub. nostræ ullum locum relinquamus. Denique
 Apostolorum istorum nostrorum serui simus, si liberi
 esse volumus. Si enim nos filius Dei, cuius illi serui
 sunt, liberauerit, verè liberi erimus. Nam fremant
 omnes licebit, dicam quod sentio, sint quibusuis vitijs
 (quod tamen de vniuerso ordine nunquam verè dici
 potest) & vitæ ac morum turpitudine infames: quan-
 do tamen in sui muneris functione versantur; nullius
 alterius, nisi Christi legatione funguntur, cuius tanta
 est dignitas & maiestas, ut ullius hominis vicio con-
 taminari aut obscurari non possit. Christus enim Rex
 regum & dominus dominantium, quod suum est, in his
 quos ita misit, sicut ipse est à patre missus, tuctur, ac in
 honore

honore haberi vult: quod verò ipsorum est proprium à munere suo secerni iubet. Cùmq; illos miserit; doctrinæ ac fidei veritatem et sinceritatem nunquam ab illis adulterari permittit, ne erroris nostri culpa in ipsum qui eos misit, & audiri præcepit, referatur. Si igitur depositum doctrinæ custodiunt, & iisdem institutis ac ritibus, quibus ab initio nostræ in Polonia religionis, maiores eorum usi sunt Christo seruiunt; cur non eorum sancta & inuiolata manere debeat authoritas? Illos enim impium Christo seruiendi modum posteris tradidisse; nemo audebit dicere; nisi qui meridie, non lucere dicit, vel qui lucem tenebras vocat, aut vllam esse participationem luci cum tenebris, id est Christo cum Belial existimat. Si enim vera est lux Christus, vti est verissima & certissima, lux, quomodo quæso, tùm cùm gentem nostram illuminaret, admixtas habere potuit tenebras? quomodo pro lumine densam animis illius caliginem potuit offundere? Vt impietatem illorum non possim non execrandam & detestandam existimare, qui cùm negare non possint, annos iam esse amplius sexcentos, ex quo Polonia in Christi fide esse coepit, & cælestis doctrinæ luce, illustris est facta; lucem tamen illam tenebris & doctrinæ veritatem erroribus admixtam fuisse, & vna idololatria extirpata, alteram deteriorem inuectam esse absurde credunt; iamq; tùm, cùm Christus nobis quoq; lucere incipiebat,

D ij

desciuisse

descivisse eos ab eius fide, quorum opera & cura illum
 cognovimus, secundo populo docent. Id si verum est,
 (quod ego verum esse adduci non possum ut credam)
 ô miseram vitæ maiorum nostrorum, qui fidem Christi
 complexi sunt, conditionem, & fallacem illorum spem,
 inanem, fragilem, vanamq; tot ætatibus fidem! Quid
 vel de quo, vel cui tantum crediderunt, ut cum eius
 credulitatis causa, tot opes profuderint, tot templa in-
 sanis substructionibus exædificauerint, tot religionis et
 fidei nostræ domicilia profusissima largitione institue-
 rint, collegia hominum, quos Christi seruos putauimus,
 coëgerint & erexerint, ac hæredibus bonorum suorum
 possessione spoliatis & ex hæredibus factis, omnem pro-
 pe rem suam familiarem, omnes fortunas & opes lau-
 tè effuseq;, ut Christi nomen atq; cultum ad posteros
 propagarent, disperdiderint & dissipauerint? denique
 cuius causa multas sepe ærumnas, calamitates, labo-
 res, vigilias, inediam, exilia, peregrinationes susti-
 nuerint? illa tamen non vera fides, sed falsa opinio de
 Christo fuit, qui non veros sed falsos nobis Apostolos
 misit, nec pura sed tenebricosa lux apparuit: quantò
 præstiterat illum non agnovisse, nec eius nomen audi-
 visse nos ad hæc usq; tempora unquam, quàm falsos
 deceptosq; esse; ut cum cognovissemus eum, non ut
 Deum tamen veris, sed falsis ac commenticijs honori-
 bus prosecutos glorificasse: vel antichristi nos (viti isti
 impuden-

impudenter affirmant) pro Christi doctrina impietatem amplexos esse. An non tolerabilior erit, sicut Sodomæ & Gomorrhæ, ita illorum maiorum, qui ante hanc peruersam Christi cognitionem falsos coluerunt Deos, conditio? Ij enim cum Christum non cognouissent, eum nulla re offendere potuerunt, quod quis qualisue eset ignorauerint; at illi eorum posteri & cognouerunt & receperunt eum, sed infinitis vanis ac impijs cultibus Episcoporum perfidia inuectis non honore affecerunt; sed probro atq; ignominia prosciderunt. O cæcitatem et dementiam tuam Mescio Dux & auctor huius nostræ religionis! multò satius erat te cæcum, uti natus eras, fuisse, quàm ita turpiter dispexisse, et nobis fenestram, qua pro luce obscuriores multò & nobis nocentiores tenebræ oborirentur, aperuisse! Tu enim nobis, tu has tenebras offudisti, ex stultis insanos fecisti, falsa & mendacia credere docuisti: tu Episcopos istos perfidos ex agris & desertis, non in astu solum, ut dicitur, sed in senatu tuo sublimes & erectos collocasti, in quem indignissimi & sceleratissimi hominum, sub religionis falsæ ementicia quadam specie irrepserunt: tu nobis pro idolis, quæ coluimus, à quibus sæpè non dubia responsa petijmus, & opem auxiliumq; implorauimus, alia noua idola multò illis ad nostrum animæq; nostræ perniciem exitiumq; præsentiora, quæ coleremus, inuexisti. Imposuisti enim homines nobis, qui in locum

Castoris Pollucis, Lædæ, ac reliquorum falsorum Deorum, quos maiores nostri coluisse scribuntur succederent, Petros videlicet, Paulos, aliosq; Apostolos & nescio quos martyres. Postea tuo exemplo alij in Regno hoc tuo imposuerunt, suos diuos indigetes, Adalbertos Gaudentios, Stanislaos, Venceslaos, eisq; statuas ac imagines publicè erexistis, locastis, fixistis, ab eorum precibus auxilium, opem, præsidium huius, & quæ consequetur, vitæ expetendum ac implorandum docuistis. Missas, quas ecce nunc missas facere & execrari docemur, in Regnum tuum inuehi tu primus permisisti. Fictos humanitus quosdam cultus in diuinis scriptis nusquam expressos, pro sacrosanctis & arcanis mysterijs recepisti. Panem pro Christi corpore & ipse coluisti, & alijs colendum proposuisti, ac eum quidem solum sine vini specie, secus, quàm instituit Christus, ita venerari sumiq; permisisti. Quæ re grauiissime Ultimam Christi voluntatem violasti, ac te prorsus nosq; omnes multò densiore tenebrarum nube, quàm qua ante te Regem maiores nostri circumsepti erant, inuoluisti, & in harathrum profundissimum errorem precipitasti. Quid ita nobis secum expostulantibus animam Mesconis, quæ haud dubiè cum Christo æternum agit æuum, responsuram existimabimus? an non hac voce si liceret nostram lubricam, fluxam, & fragilem fidem reprehensuram? & perfida, impij, degeneres, Poloni,

qua

qua verborum acerbitate, ut reprehendimini digni
 estis? vosne post tot secula, quibus à me Rege Chri-
 stiano primum factò concordēs, & nationibus Christi-
 anis omnibus in eo, quod traditum vobis erat, Euan-
 gelio, consentientes vixistis; repentino malignoq; spi-
 ritu afflato, in aliud Euangelium transferri, vos e-
 xistimare & affirmare audere? Christum quem ego in-
 finita Dei benignitate authoribus Episcopis istis quos
 persequimini, & quorum doctrinam execramini, co-
 gnoui & recepi, & ea qua ab Episcopis instituti sumus
 veneratione, formula, exemplo, regula, colui, menti-
 ri potuisse & prestigijs mendacijs, captionibus (horre-
 sco referens) nobis illusisse, seq; ad nostram perniciem,
 non salutem patefecisse? Ego parentibus animo cæcis
 & Dei cognitione ac veritatis luce carentibus, cor-
 pore cæcus natus eram, diuina tandem voluntate puer
 visum recepi: quo quidem prodigio, vates illius tem-
 poris portendi prænuñciarunt, me primum Regem fo-
 re, qui non corporis solum, sed & animi oculis apertis,
 veram in Polonia lucem essem aspecturus. Quod tan-
 dem verum prædixisse illos, exitus comprobavit. Pri-
 mus enim Euangelij lucem (sit ei, quo cum nunc sum-
 ma felicitate perfruor, laus & gratia) & aspexi, &
 ut in Polonia Regno meo omnibus solis illius verum
 iubar illucesceret, ac clarum non tenebricosum, uti
 vos comminisci ausi estis, coruscaret, Episcoporum o-
 pera,

peri, cum & diligentia effeci, eosq; qui tantum bono-
 rum in Poloniam inuexerunt, quantum omnes fortu-
 nas, omnia denique bona & commoda mundi huius,
 nempe famam, honorem, libertatem, maximo superat
 interuallo, summo sum prosecutus honore, ac mei ipsius
 Reiq; pub. meæ arbitros, moderatores ac rectores con-
 stitui, Regesq; & principes verissimo appellauit nomi-
 ne. Cuius facti non solum me non pœnitet, sed vestri
 me, impij Poloni, miseret; qui à nostris maiorumq; ve-
 strorum fide & religione perenni & contestata dege-
 nerastis: vestræ me inconstantiae, mobilitatis, leuita-
 tis pudet; qui temeritatis atq; arrogantiae paucorum
 quorundam externo deprauatorum impietate, ad stipu-
 latores vos constituistis: nouas religiones in Regnum
 meum induxistis: omnes Christi Dei colendi modos, ab
 initio, à Petri Cathedra, cui Christus ipse in cœlum
 ascensurus, ter ac petito mandato, pascebas oues suas
 commisit, acceptos, & à sanctissimis hominibus Apo-
 stolis nostris institutos & vobis traditos, omnes ritus,
 cœrimonias, sacrificia solennia, vel contemnerastis,
 vel funditus eiecistis: & nunc primum ijs miseris tem-
 poribus, quibus Deum, non tam clementiam erga vos,
 quàm sceleribus vestris offensum, inimè exercere suam
 re ipsa experimini, gratia sua Poloniã & veritate
 Euangelij dignatam populo persuasistis, illos verò, qui
 à meis temporibus ad hoc vsq; infelix seculum vestrum
 vixerunt,

vixerunt, in summis tenebris errorum versatos, non secus, quam ante me Regem Diaboli mancipia & fuisse, & nunc quoque propter male agnitum Christum eius tyrannide premi ac torqueri, vos verò solos in libertatem, nunc tandem post tot secula exoticorum, vagorum, errorum istorum opera restitutos esse. Igitur ne Turcas quidem, Scythas, cæterasque Dei noticia expertes nationes unquam hætenus religionis veræ cultu superastis? Quid igitur tanto fastu libertatem istam vestram iactatis, vanissimi mortalium, qui hætenus turpissimo & atrocissimo tyranno diabolo seruiiistis? Seruiiistis enim ei, cuius dogmata pro Christi dogmatibus recepistis, cuiusque authoritatem secuti nefarios cultus, quibus verus dominus humani generis liberator offenditur magis quam delectatur, tolerastis. nam alterutrum fateamini oportet; aut Christo ea fide vos seruiiisse, cuius sacramento me authore inautho-
rati estis, aut diabolo. Si Christo, quare in ea constanter persistendum vobis non putatis? quare eam tanquam vicio inuectam mutare instituiistis? quare Christum unà secum tantum malorum, tantum tenebrarum in Poloniam ac orbem potiùs vniuersum è cælo à patre luminum attulisse suspicari audetis, quantum ne ex Pandoræ quidem illius poetarum fabulis celebrato pixide euolare potuerit? Si verò, quod animus cogitare horret, hac ipsa fide non in Christi, sed in

E

diaboli

*diaboli seruitutem vos mancipatos, huic ipsi diabolo
 ego tradidi; mendax, falsa, vana, fides vestra, à di-
 abolo sepe profecta fuit, qui mendacij, vti Christus ve-
 ritatis, pater est. Inter hæc verò, aliquod esse medium
 existimare, extremæ dementiæ est. Ergo vos nec a-
 uos, ac ne patres quidem vestros liberos & ingenuos,
 qui libertate per Christi fidem donati fuerunt, citare
 potestis; sed vel ex vobis ipsis prognati videbimini,
 vel externos paucos, eosq; regionis vitio temulentos,
 vilissimos homines pro patribus habebitis, ad eosq; li-
 bertatis vestræ initia referetis, ab illa maiorum ve-
 strorum pulcherrimè & sanctissimè à nobis inchoata
 continuatæ successionis seriè abrepti, & à verè diui-
 næ stirpis propagine effracti & reuulsi: ò dementiam
 & impietatem, ò turpem notam vestri nominis! quid
 sequens de vobis dicet & cogitabit ætas? quibus vos
 probris & execrationibus posterì vestri excipient? No-
 lite enim existimare, Poloni, leuiculas istas vestras
 de Christi religione, & fidei à nobis maioribus vestris
 susceptæ, non consentaneas, pestiferasq; vesanarum
 mentium opiniones & machinas, quibus veram me-
 Rege in Polonia diuinitus cæptam oppugnatis fidem,
 hanc ætatem vestram superaturas: vincet veritas Chri-
 stus Dominus ille, quem nos cognouimus: ille, hoc est,
 eo modo, ratione, cultu, quo nos eum cognouimus &
 coluimus, colendus redibit: illa sacra cerimonie insti-
 tuta,*

tuta, à vobis violata & profanata, suo honori & dignitati restituentur: istæ vestræ inferorum portæ corruent: profligabit Christus comentorum istorum vestrorum impias cohortes, quibus effectum videtis, ut veluti diminutum capite, patre sc̄t minore[m] credere cogamini. Cùm enim vos à nostrâ maiorum sententia segregaueritis, & nihil credendum vobis in animum induxeritis, nisi quod expressis scripturarum verbis contineatur; cùm sanctissima prioris ac purioris seculi, & doctorum à Deo hominum decreta contempseritis; cùm posse Christum vi sua diuina, corpus suum & ad patris dexteram collocatum retinere ac seruare, & nobis sub specie panis æterno patri offerendum, ac deinceps sacra communione percipiendum, sicuti sanctè pollicitus est, dare negaueritis; cùm eum, postquam deuicta morte æqualis patri à dextris eius consedit, adhuc famulari et ancillari solum patri suo, exclusis sanctorum hominum, qui eius participes diuinitatis facti cum eo viuimus, suffragiis, veluti in scena finxeritis & introduxeritis; cùm & pœnas apud inferos luisse eum, prob dolor, mentiri ausi impia & capitali fraude sitis: an non vos eum de omni diuino dignitatis gradu deturbastis? ac prorsus Patri non esse æqualem, non verbis quidem, sed veluti digito ostendistis? Exurget, credite mihi, exurget, & vos dissipabimini: inimici eius corruetis, qui odistis eum à facie eius; odistis enim vos

nim vos Christum & persequimini, qui eos odistis, à
 quibus illius fides, illius religio, & ut verborum illius
 translatione utamur, illius vinea plantata est. Credi-
 te mihi Regi, Duci, & auctori christianæ vestræ in
 Polonia religionis; nisi pœnitentiam egeritis, ac huic
 sanctissimo ordini reconciliabimini, institutaq; mores,
 ritus, solennes cærimoniarum & christianorum my-
 steriorum reuocaueritis, ex eorumq; sententia scriptu-
 ras, quas in arbitrio vestri intellectus habetis intelle-
 xeritis, hosq;, qui vos conturbant, & nouis dogmati-
 bus instruunt, e Regno vestro exturbaueritis; omnes
 simul peribitis, & libertatem, cuius nomine tantopere
 gloriâmini, salutem deniq; & incolumitatem Reipub.
 atq; ipsam Rempub. vestram amittetis; & quæ bona,
 quæ commoda, quæ salutaria, quæ ad veram perfe-
 ctamq; libertatem conseruandâ, & ad decus gloriâmq;
 nominis vestri sempiternam pertinentia à nobis maio-
 ribus vestris accepistis; ea posteris vestris tradere quo-
 modo poteritis, quando omnia quibus hæc ipsa vera
 libertas vestra constat, mutastis ac inuertistis? Sed
 consequentur hi diuino beneficio numinis ea omnia re-
 stituta, ita uti vobis tradita à nobis erant. Cuius rei in
 vestris saniore mente, quàm ipsi estis, prædicit liberis
 exempla se iam proferunt, vestri tamen eos pudebit,
 dolebunt vicem vestram ac deplorabunt, qui per sum-
 mum dedecus ac impietatem, à pietate religioneq; ma-
 iorum

iorum defecistis, & vestris confisi deprauati sensus viribus, iudicia ætatum superiorum omnium contempstis ac despectistis, & rursus in durissimam perpetuamq; antiqui domini tyrannidem recidistis, ardentibus æternisq; flammis tantum hoc impietatis crimen expiaturi. Qua fronte, quo vultu, quo animo hæc audiretis dicentem, vosq; iustissimis quærelis onerantem Regem, Ducem, authorem christianæ vobis religionis, Poloni? quid iuste responderetis illi, & vos inter nefarios ducus sui desertores defenderetis? ego profecto excogitare non possum: mihi certè, si ihs vos compellaret vocibus verissimè quæstus de vobis esse videretur. Propterea pareamus recta monenti, si libertatem, de qua hæc nobis instituta disputatio est, retinere saluam & integram cupimus: saluas & integras leges & suam dignitatem, uti reliquorum ordinum in hac Repub. nostrâ; ita huius quoq; sacrosancti ordinis esse iubeamus. Arceamus procul finibus nostris hos, qui ordinum pacem & concordiam perturbant: fidem Spiritus sancti afflatu nobis traditam, & ad hæc usq; tempora religiose ac sanctè in Polonia cultam & obseruatam violant: perfidiæ Christum Dominum accusant: eius Apostolos, quos tandem aliquando ad nos misit, impietatis arcesunt: Christo, id est ihs, quos Christus misit, seruiamus: eorum id est Christi, institutis viuamus: tenebrarum id est horum, qui hæcenus tenebris Poloniam ob-

*niam obscuratam fuisse persuadent, openi abijciamus
 & explodamus: non omni vento doctrinæ agitemur:
 non omni quorumvis undecunq; proserpentium homi-
 num persuasioni obediamus, obtemperemus, ac obse-
 cundemus; nihil enim magis seruile est, quàm aliorum
 excogitatos novosq; sensus & commenta sequi atq; imi-
 tari. Hoc demum modo veram libertatem retinebimus,
 Remq; publicam nostram diuturnam ac felicem conser-
 uabimus, & posteris nostris, ita uti ipsi à maio-
 ribus accepimus, de manu in manum
 trademus, & sartam tectamq;
 relinuemus.*

